

## Der Briefwechsel der Kardinäle mit Kaiser Karl IV. betreffend die Approbation Wenzels als Römischen Königs. (Sommer 1378.)

Aus Cod. lat. A. IX. 8 f. 79—84 r<sup>o</sup> der Univers.-Bibl. zu Basel.

Von Dr. Franz Pl. Bliemetzrieder, O. Cist. Rein.

### Copia diversarum litterarum cardinalium.

[1.] fol. 79 r<sup>o</sup>: Excellentissime domine mi. Scripseram celsitudini vestre nuper de obitu sancte memorie domini pape Gregorii et qualiter simul cum ceteris dominis cardinalibus, qui sunt presentes in curia, pro eleccione futuri pontificis intrabamus conclave. Nunc autem noverit vestra maiestas, quod die Jovis VIII<sup>o</sup> mensis huius post missarum sollempnia congregati sancti spiritus gracia inspirante tunc Reverendum patrem dominum Bartholomeum de Neapoli Archiepiscopum Barensensem, locum tenentem domini vicecancellarii, in Romanum pontificem concordés elegimus et eleccione publicata intronizavimus, ut est moris, estque nomen eius Urbanus sextus. Per quem propter eius claram scienciam, vite puritatem, ceterasque virtutes innumeras, et rerum experientiam diu probatam speravimus indubie, quod, eius auxiliante clemencia cuius est in terris vicarius, universalis ecclesia feliciter et augmentum. Penes cuius beatitudinem pro complemento negocii serenissimi domini nati vestri ceterisque maiestatis vestre beneplacitis et honoribus paratus sum cum cordis desiderio sollicite laborare, recommendans me gracia maiestatis eiusdem. Scriptum Rome die X<sup>o</sup> aprilis prime ind[iccionis].

Subscripcio: Totus vester P[etrus] Portuen[sis] Episcopus.

Suprascriptio: Serenissimo principi et domino, domino K[arolo] dei gracia Romanorum imperatori semper augusto . . .

[2.] fol. 79 v<sup>o</sup>: Serenissime princeps et domine. Noscat vestra celsitudo, quod felicis recordacionis dominus Gregorius papa XI<sup>us</sup>, cuius anima requiescat, negocia, pro quibus excellencia vestra, miserat ad curiam, ista habebat valde cordi. Et si supervixisset, brevem et bonum finem, ut spero, sortita fuissent, quod eius, sicut domino placuit, superveniente obitu adimplere nequivit. Nichilominus tamen firmiter teneo, quod dominus noster modernus excellenciam prefatam, ac tam huiusmodi, quam alia vestra negocia favore disponit prosequi speciali. Et quantum in me erit, sitis certus quod semper pro viribus circa illa et alia, que scivero celsitudinis prefate concernere statum et honorem, fideliter et libenter interponam ubique partes meas, ut ad optatum per vos

effectum perducantur. Eapropter mihi suo in omnibus successive et cum omni fiducia rescribat prefata celsitudo quecumque possibilia sibi placuerit me facturum. Cui affectuose recomendo negocium archiepiscopi Mogunt[ini], super quibus dominus noster eidem scribit. Conservet vos dominus feliciter per tempora longiora. Scriptum Rome die XXV. mensis Maii.

Suprascriptio: Sacre cesaree maiestati metuendo domino meo.

[3.] fol. 79 v<sup>o</sup>: Serenissime princeps et metuendissime domine mi. Affectionem quam habui ad expeditionem votivam negocii Reverendissimi domini mei domini Regis Romanorum filii vestri, vobis referre poterit dominus Episcopus Vurmacion[is], qui tamquam fidelis et prudens in prosequ[ut]ione nichil de contingentibus obmisit et deum testem invoco, quod super negotio huiusmodi ad intencionem vestram pro posse meo modico laboravi. Ceterum serenissime princeps et metuende domine, quia, prout esse debeo, disposui in mente mea totaliter esse vester et predicti domini mei filii vestri, prout sum domini mei Regis Francie nepotis vestri. Unde supplico humiliter, quod me dignemini in vestrum recipere ac m[ichi] in omnibus tamquam tali precipere et mandare. Sciat enim vestra maiestas cesarea, quod in m[ichi] commissis propter negligenciam non reperietis defectum. Altissimus vestram maiestatem prefatam conservet feliciter et votive. Scriptum manu propria Rome die XXVIII Maii.

Subscriptio: Humilis vester cardinalis Ambianen[is].

Suprascriptio: Serenissimo principi domino imperatori semper augusto.

[4.] fol. 80 r<sup>o</sup>: Serenissime princeps et domine mi. Sicut alias scripseram vestre maiestati, dominus sancte memorie Greg[orius] papa XI. decreverat et sermonem super hoc sollempnem fieri preceperat per Reverendum patrem, dominum Agapitum de Columna Episcopum Vlixbonen[sem] vestre maiestatis fidelissimum servitorem et ut dominum meum natum vestrum Regem Bohemie in Romanum regem electum confirmaret et suam electionem iustam decerneret, ad diem veneris ante dominicam de Ramis palmarum terminum duxerat statuendum. Infra quem, sicut domino placuit, debitum nature persolvit. Post cuius obitum Reverendissimus pater dominus, tunc dominus Bartholomeus Archiepiscopus Baren[is] fuit ad apicem summi apostolatus assumptus, qui post suam coronacionem relacionem in consistorio dicti negocii electionis et confirmacionis voluit perscrutari, in quo domino meo G[uilhelmo] cardinali de Agrifolio commissario ad huiusmodi per dictum dominum sancte memorie deputato referente de

voluntate omnium dominorum meorum cardinalium dixit se velle dictum negocium expedire, quia dictam relacionem audiverat optimam et sollempnem, tamen quia novus dominus est et non ad eum, sed ad predecessorem vestras litteras et ambasiatores iam dicta maiestas direxerat, videtur velle quod ad eum novos super hiis ambaxsiatores cum vestris litteris dirigatis, super quibus et novis sue coronationis nobilem virum<sup>1)</sup> Bertrandum de vayracho, hominem utique virtuosum et cognatum dicti domini mei cardinalis de Agrifolio ad eiusdem maiestatis presenciam ecce mittit. Supplico igitur serenitati vestre ut eum dignemini lete suscipere, quia vere bonus et nobilis homo est et credo quod eius relacione recepta dominus noster grate expediet negocium memoratum, licet domini cardinales stabant omnes concorditer ut negocium expediretur, et ita credebatur, maxime cum per dominum Gregorium sancte memorie erat ordinatum de expedicione, et erat notum omnibus dominis cardinalibus et eciam domino nostro moderno. Predictus Bertrandus dicit serenitati vestre mortem sancte memorie domini Greg[orii] et statum curie et serenitas vestra audacter potest sibi dare fidem. Ego enim vester sum fidelis servitor et in premissis, ut debitum sorciantur effectum, feci et adhuc dante domino faciam fideliter quidquid possum. Recommendo me ut servulum maiestati vestre, quam conservare dignetur altissimus in eternum. Scriptum Rome die XIII<sup>a</sup> mensis Maii.

Subscripcio: Vester humilis G[alhardus] episcopus Spoletanus.

Suprascriptio: Serenissimo principi domino K[arolo] quarto divina favente clemencia Romanorum imperatori Boemie regi domino suo singularissimo.<sup>2)</sup>

[5.] fol. 80 v<sup>o</sup>: Serenissime princeps et domine reverentissime. Cupiens de statu felici maiestatis vestre et Illustris domini mei regis Romanorum nova continue bona audire, Supplico maiestati vestre, quatenus<sup>3)</sup> me dignetur exinde suis apicibus consolare et mihi minimo servitori precipere ad ipsius maiestatis et dicti domini mei regis servicia et mandata parato. Ceterum dominus noster papa mituit ad maiestatem vestram egregium militem dominum Iodovicum Brancassinni de Neap[oli] consanguineum suum et affinem meum carissimum, quem clemencia vestra dignetur benigne

<sup>1)</sup> Ms.: vestrum?

<sup>2)</sup> Im Ms. folgt folgende Note: Nota quod iste Spoletanus fuit nuncius apostolice sedis missus ad imperatorem et per eum imperator mutuavit pape Gregorio XL milia flor[enorum] et post mortem Gregorii idem episcopus fuit unus de camera pape.

<sup>3)</sup> Ms.: qua<sup>3</sup>.

suscipere recommissum. Maiestatem ipsam conservet altissimus feliciter et longeve. Scriptum Rome XXVII Maii prime ind[iccionis].

Subscriptio: V[estre] m[aiestatis] fidelis et devotus servitor N[icolaus] cancellarius regni Sicilie.

Suprascriptio: Sacre cesaree maiestati.

[6.] fol. 80 v<sup>o</sup>: Excellentissime domine mi. Memor sum, quod die XXV februarii scripsi maiestati vestre per litteras duplicatas, qualiter sancte memorie dominus papa Gregorius deliberaverat atque firmaverat ante finitam quadragesimam proximam transactam negocium serenissimi filii vestri domini Regis romanorum graciose ac favorabiliter expedire et, ut moris est, in publico consistorio approbare, iamque ordinatum fuerat, quod Re[veren]dus pater,<sup>1)</sup> dominus Agapitus de Columpna Vlixbonen[sis] Episcopus in consistorio ipso proponeret. Postque, sicut domino placuit, post longam infirmitatem idem dominus Gregorius spiritum reddidit creatori. Verum eleccione facta de successore, super illa die X<sup>o</sup> aprilis excellencie vestre scripsi, addens quod penes eius beatitudinem pro complemento negocii eiusdem domini nati vestri sollicite laborarem; quod et feci. Et quia dominus noster papa modernus non erat plenarie de materia informatus, post pulsacionem et requisicionem meam multiplicem voluit sua sanctitas, quod de toto processu eleccionis huiusmodi in consistorio relacio fieret. Que facta fuit die VII<sup>o</sup> mensis huius; et omnibus prolocutis et dictis et factis ab inicio [quo] incepit tractatus usque ad illam diem plene relatis, per omnes dominos card[inales] communiter consultum deliberatum fuit, quod de presenti procederetur ad finalem expedicionem et fieret publice persone approbacio iuxta morem consuetum, prout sancte memorie dominus Greg[orius] facere deliberaverat, et pro hac obtinenda conclusione instantissime laboravi multas raciones allegans maxime quia in tota alemannia a tempore quo episcopus Spoletanus in luca advenerat, ipsam approbacionem iam factam fore publice ferebatur, et quia in dilacione timui, dum fuerat presens<sup>2)</sup> considerata malicia, ne scandala orirentur; dum autem crederem sic fieri debere, dominus noster papa deliberavit ad partem cum Wormacien[si] episcopo, quia die ipso creacionis papam sollicitaverat ad vestre maiestatis presenciam velle transmitti aliis omnino insciis, quod idem solus episcopus cum certis per papam sibi adiunctis veniret ad vestre serenitatis presenciam. Qui ultra significacionem creacionis et

<sup>1)</sup> Ms.: pater noster, *sed exp*: noster. An Abkürzungen sind angewendet: exp(ungitur), corrig(itur), correct(um), marg(ine), add(itur), del(etur), lin(ea), om(ittitur), ras(ura).

<sup>2)</sup> Ms.: pris, *corrige in marg*: pns.

coronacionis sue, quid exponere habeat,<sup>1)</sup> omnibus est ignotum. Nam solum cum Wormacien[si] tractavit, nil penitus aperiendo domino Gebenen[si] vel michi, vel alicui, qui sit hic pro vobis, nisi quod legaciones gratas transmitteret. Quod si ita sit, gaudeo in immensum. Utinam Wormacien[sis], qui a tractatibus vestris vestros omnes exclusit, cum gratis et bonis novis ad maiestatem vestram rediverit! Michi sufficit vota cesarea feliciter adimpleri, pro quibus ipso et quibuscumque invitis semper laboravi et laborabo sollicite, nec alicuius invidia, sed sola mors poterit me a tali proposito umquam retrahere. Novit Deus quod in contradictorio iudicio tempore domini Gregorii et in presenti me oportuit disputare et ratione vincere quod petita per vestram serenitatem erant concedenda et ad effectum demandanda ecclesie et imperii necessitate pensata et futuris periculis per me non semel, sed pluries particulariter declaratis obviare volendo. finaliter autem concludo, quod intencio domini nostri est, ut dixit, velle habitis vestris hon[orabilibus] nunciis ad approbacionem persone benigne procedere, et cum vestra maiestate in omnibus agere graciouse. premissa quidem intimassem, sed quia dominus noster et eciam Wormacien[sis] episcopus promiserant, me particulariter declarare distuli usque ad suum recessum. insuper collegas duos exclusit familiares vestros hic existentes, qui deo teste ac veritate cum omni diligen[cia] sunt eius mandata continue prosecuti. Nec omitto<sup>2)</sup> quod pecuniarum facta tradicio non fuit res voluntaria, sed mere necessaria, sicut sciunt domini cardinales de Agrifolio et sancti Eustachii, item camerar[ius] et thesaurar[ius] domini nostri pape, qui de mandato domini Gregorii sancte memorie sunt illam materiam prosecuti, in quo utinam possem verbo loqui que non audeo penne committere. In effectu enim Gregorius sancte memorie sic voluit. Alias factum filii vestri, quod longissimis temporibus impediabatur, prout clare sua sanctitas dixit, iuravit, et licet ante mortem suam littera approbacionis ingrossata fuisset, tamen morte superveniente bullari non potuit. Scriptum Rome die ultimo Maii prime ind[iccionis].

Subscriptio: Vester P[etrus] Portuen[sis] episcopus.

Suprascriptio: Excellentissimo principi, domino K[arolo] divina favente clemencia Romanorum imperatori semper augusto, Bohemie regi illustrissimo.

[7.] fol. 80 v<sup>o</sup>: Excellentissime domine. Alias celsitudini vestre scripsimus, qualiter sancte memorie dominus noster papa Gregorius deliberate firmaverat et firmiter deliberaverat, antequam finiret quadragesima proxima, iam peracta, negocium serenissimi

<sup>1)</sup> Ms.: habeant, sed »n« exp.

<sup>2)</sup> Ms.: emitto.

domini Nati vestri benigne ac favorabiliter expedire, personamque ipsius in publico consistorio, sicut est consuetudinis, approbare; iamque fuerat datus ordo, quod Re[verendus] pater dominus Agapitus de Columpna Vlixbonen[sis] episcopus in consistorio memorato proponeret. Hiis autem sic per sanctitatem suam dispositis, nec completis<sup>1)</sup> supervenit, sicut altissimo placuit, mors eiusdem, et consequenter creacio successoris, prout credimus ad maiestatis vestre noticiam iam venisse. Cuius s[ancitas], quia non erat ad plenum de facti terminis informata, voluit totum eleccionis prefati domini nati vestri processum in secreto consistorio seriose referri, et sic die VII<sup>o</sup> mensis maii factum fuit et per omnes dominos cardinales consultum ac deliberatum, quod, sicut deliberaverat prædecessor, sic sine tardacione procederetur ad approbacionem persone ac finale negocii complementum. Verumtamen etsi deliberationem pretactam sepe sollicitavimus perduci realiter ad effectum, tamen<sup>2)</sup> dominus noster prefatus nobis insciis secreto decrevit, Reverendum patrem episcopum Wormacien[sem] cum nonnullis aliis sibi iunctis ad serenitatis vestre presenciam destinare, ceteris familiaribus vestris hic existentibus in nullo penitus requisitis. Quas autem legaciones Wormacien[sis] idem portaverit, ignoramus. Sed si grate sunt, inde gaudemus. Si essent, quod absit, contrarie,<sup>3)</sup> doleremus desiderantes unanimiter excellencie vestre vota sine defectu totaliter consummari, pro quibus adimplendis et aliis vobis gratis non desinemus totis affectibus viriliter laborare. Sublimitatem vestram feliciter et longeve conservet altissimus, ut optatis. Scriptum Rome die secundo junii prime ind[iccionis].

Subscripcio: Vester Portuen[sis] et cardinal[is] Gebenen[sis].

Suprascriptio: Serenissimo ac illustrissimo principi, domino K[arolo] dei gracia Romanorum imperatori semper augusto.

[8.] fol. 82 r<sup>o</sup>: Serenissime ac illustrissime princeps, domine Carissime. Prout iam dudum vobis scripsi, dominus noster Greg[orius] sancte memorie papa XI. ordinaverat procedere ad approbacionem eleccionis celebrate de persona serenissimi principis et domini, domini W[enceslai] regis Bohemie nati vestri in regem Romanorum infra certum terminum in suis et meis super hoc nuper vobis directis litteris denotatum. Sed morte preventus, prout domino placuit, hoc complere non valuit, de quo, seclusa divina voluntate, valde dolui et doleo tam ex amissione tanti patris et domini, quam consideracione vestre Imperialis maiestatis

<sup>1)</sup> Ms.: complementis, *sed exp littera* »n«.

<sup>2)</sup> Ms. scribit: cū.

<sup>3)</sup> Ms.: contrario.

et dicti domini Nati vestri. Que autem circa dicti domini nostri obitum, circa provisionem ecclesie Romane factam de persona sanctissimi domini nostri moderni, domini Urbani papa VI<sup>ti</sup> eveniunt, vestre maiestati non scribo, quia per nobilem virum Bertrandum de veyarcho avunculum meum latorem presencium ad vos cum nonnullis aliis per dictum dominum nostrum specialiter destinatum super eis poteritis plenius informari. Vobis tamen significo, quod prefatus dominus noster satis cito post assumptionem suam super concernentibus factum eleccionis prefate voluit informari, super quibus de ipsius mandato in consistorio retuli sibi, prout dominus m[ihi] melius ministravit, fecique quicquid potui et faciam ob honorem vestre imperialis maiestatis et dicti domini nati vestri, ut negocia huiusmodi breviter optatum per vos consequantur effectum. Quod facient, prout spero, prout dominus episcopus Wormacien[is] ad vos personaliter accedens de eis plene informatus vobis referre poterit viva voce. Insuper dictus Bertrandus, qui fuit olim familiaris antiquus sancte memorie domini Clementis pape VI<sup>ti</sup> et de eius affinitate propinquus, pro mei parte celsitudini vestre aliqua referet, cui supplico fidem credulam adhibere, digneturque eum gratanter ac benigne suscipere ac specialiter recommendatum habere, m[ihi]que in omnibus precipere tamquam suo. Quam dignetur altissimus conservare feliciter et longeve. Datum Anagnie penultima die Maii.

Subscripcio: Vester cardinalis de Agrifolio.<sup>1)</sup>

Suprascriptio: Sacre cesaree maiestati.

[9.] fol. 83 r<sup>o</sup>: Excellentissime domine mi. Pridie Rome existens satis prolixè scripsi maiestati vestre, eciam effectu declarans deliberacionem factam concorditer in consistorio die VII<sup>o</sup> maii super approbacione et expedicione etc. negocii serenissimi filii vestri romanorum regis electi. Scripseram, eciam dominus Geben[ensis] et ego super communem litteram, et postea continue hanc, hic Tybure existens, sollicitavi materiam, super qua optima semper habui responsa. Heri tandem in presencia domini Cardinalis Mediolanen[is] et mea hanc importune persequerbar materiam, ac eciam presentibus venerabilibus viris decano vicegraden[is]

<sup>1)</sup> Im Ms. folgt folgende Note: Nota quod iste Bertrandus, de quo supra est mencio, non aliud retulit\*) virtute huius credencie quam eleccionem et coronacionem domini nostri pape Urbani sexti sanctam, canonicam et concordem et papam esse dispositum ad quevis grata cesari. Et ob hanc bonam relacionem imperator creavit eundem Bertrandum militem et in ecclesia Pragensi precinxit baltheo militari publice ac multis preciosis enceniis honoravit. Nota, episcopus Wormacien[is] similem relacionem fecit imperatori super promissis et nunciis sollempnibus pape mittend[is].

\*) Bertrand de Veyrac wird von seinem neapolitanischen Begleiter gehindert, so erzählt Kardinal Wilhelm d'Aigrefeuille selbst. (L. Gayet, Le grand schisme d'Occident, 2, Paris 1889, Beil. S. 70.)

et magistro Theod[erico] latore presencium dominus noster papa usus est verbis istis, videlicet, quod negocium istud omnino expedire volebat. Et addidit: *Et nunc personam suam vobis presentibus approbamus et cetera facimus, que fieri sunt consueta, tamen istud sit secretum, quia volumus pro honore ecclesie, imperatoris et nostro hoc more solito publice facere et sollempniter, prout decet, prout lacius referet dominus Theode[ricus] predictus, qui vestram maiestatem lacius informabit ac eciam dicet de litteris quas habetis mittere iuxta ordinata tempora pro me domini pape Gregorii. Ego vero hec et alia, que scio bonorem vestrum respicere totis viribus ad effectum deducere procurabo. Scriptum Tybure die XXII<sup>o</sup> Julii.*

Subscriptio: Totus vester cardinalis Florent[inus].

Suprascriptio: Sacre cesaree maiestati.

[10.] fol. 83<sup>o</sup>: Excellentissime domine mi. Per dominum Theoder[icum] secretarium vestrum nudiustercius, quid usque ad diem XXI. mensis huius super negotio serenissimi domini nati vestri romanorum regis factum fuerat, propria manu scripsi. Nunc autem ad gaudium serenitati vestre significo, quod post exactam diligenciam variosque labores per nuncios vestros hic existentes et me sollertibus studiis habitos tandem dominus noster papa desiderans, prout alias scripsi, vestre celsitudini in omnibus complacere, hodie in consistorio spiritus sancti gracia invocata prefatum dominum natum vestrum, dominum Wenzlaum regem bohemie in regem romanorum sollempniter nominavit et efficaciter declaravit, utens post debitas propositiones hinc inde servatas formaliter istis verbis: *Nos ad laudem et gloriam omnipotentis dei Patris et F(ili) et s(ancti) S(piritus) et beate ac gloriose semper virginis dei genitricis ma(ri)e et beatorum apostolorum Pe(tri) et Pau(li) et exaltacionem et honorem Ecclesie et bonum, promocionem imperii et prosperum statum mundi, de fratrum nostrorum consilio dictum Wenzlaum in specialem nostrum et Ecclesie filium suscipimus ei nostros favorem et gratiam conceden(tes), ipsiusque persona ydonea reputata eundem nominamus, denunciamus, assumimus et declaramus regem Romanorum, ipsius approban(tes) personam, eumque sufficientem et habilem declaramus ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem ac decernentes unccionem et consecracionem imperialem per nostras manus sibi oportunis loco et tempore imponendas, supplentes nichilominus omnem defectum, si quis aut racione forme, aut racione persone sue, aut personarum electorum suorum, seu ex quavis alia racione sive causa in eleccione huiusmodi intervenerit quovis modo, ex certa sciencia et apostolice plenitudine potestatis, precipientes eciam omnibus fidelibus vassallis imperii, ut sibi sicut regi romanorum in imperatorem pro-*

*movendo pareant efficaciter et intendant.* Et sic illustrissime domine mi negocium dicti nati vestri est, deo gracias, feliciter expeditum, sicut per bullas apostolicas, quarum expeditio sollicitatur instanter, vestra videbit plenius celsitudo, pro cuius desideriis adimplendis, quantum sollicite, quantumque diligenter et sincero animo laboraverim, honestius per alios qui viderunt, informari poterit vestra sublimitas, quam pro voto conservet altissimus in longevum. Scriptum tybure die XXVII.<sup>a</sup> julii prime ind[iccionis].

Subscripcio: Vester Pe[trus] Portuen[sis] episcopus cardinalis.

Suprascriptio: Serenissimo domino K[arolo] romanorum imperatori semper augusto et Bohemie regi, domino meo specialissimo.

[11.] fol. 83 v<sup>o</sup>: Serenissime princeps. Sicut particulariter et prolixè scribimus excellentissimo domino patri vestro, noverit serenitas, quod post exactam diligenciam variosque labores per nuncios vestros hic existentes et nos sollertibus studiis habitos tandem dominus noster papa desiderans cesaree maiestati vestreque celsitudini complacere, hodie in consistorio Spiritus sancti gracia invocata vos in regem romanorum sollempniter nominavit et efficaciter declaravit, personamque vestram approbavit ac sufficientem et habilem declaravit ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem decernens unccionem et consecracionem imperialem per manus suas vobis oportunis loco et tempore imponendas, supplensque omnem defectum, si quis aut racione forme, aut racione persone vestre, aut personarum electorum vestrorum, seu ex quavis alia racione vel causa in eleccione vestra intervenerit quovis modo, ex certa sciencia et de apostolice plenitudine potestatis et precipiens omnibus fidelibus vasallis imperii, ut maiestati vestre sicut regi romanorum in imperatorem promovendo pareant efficaciter et intendant. Que maiestati vestre significamus ad gaudium, pro cuius honore quantum sollicite, quantumque diligenter et sincero animo fuerimus operati, honestius per alios qui viderunt informari poterit vestra sublimitas. Quam pro voto conservet feliciter rex eternus. Scriptum Tybure die XXVI.<sup>a</sup> julii prime ind[iccionis].

Subscripcio: Vester P[etrus] Portuen[sis] cardinalis.

Suprascriptio: Serenissimo principi, domino Wenczlao dei gracia romanorum et Bohemie regi illustri semper augusto.

[12.] fol. 84 r<sup>o</sup>: Serenissime et excellentissime domine. Noscat vestra serenitas die lune XXVI.<sup>a</sup> mensis julii in consistorio publico dominum meum regem Bohemie natum vestrum in regem

Romanorum assumptum honorabiliter et in presencia multorum dominorum card[inalium], episcoporum, clericorum, et militum, prout serenitas vestra semper affectavit, et certe dominus decanus Wissegraden[sis] fideliter et cum magna diligencia se habuit et alii vestri servitores et ego tamquam minimus de servitoribus vestris, licet parum possum et parum valeo, sed quicquid possum et valeo, semper vester sum. Pauca scribo serenitati vestre, quia suppono, quod decanus vester Wissegraden[sis] vestre serenitati plenius scribit. Dixi domino nostro pape et dominis cardinalibus qui presentes erant „qualiter recepi iuramenta et multa que erant necessaria de domino Rege Boemie filio serenitatis vestre et qualiter videram eum, quia alias negocium non esset expeditum“. Eciam dominus comes nolanus,<sup>1)</sup> qui est magnus circa dominum nostrum, multa fecit in predicto negotio. Quare placeat serenitati vestre sibi regraciari, quia potens est in sermone et in opere. Valeat serenitas vestra m[ibi] cara, prout opto, recommendan[do] me domine mee Imperatrici. Datum in civitate Tyburtina die XXVI<sup>a</sup> mensis julii.

Subscripcio: Vester humilis servitor G[alhardus] episcopus Spoletanus.

Suprascriptio: Sacre cesaree maiestati metuendo domino meo.<sup>2)</sup>

[13] fol. 84 r<sup>o</sup>: Serenissime princeps. De singulari dileccione, quam cordiali affectione gerimus circa dignitatis et status conservanciam et augmentum vestre maiestatis filiorumque vestrorum reverendus pater dominus episcopus Wormacien[sis] plenariam facere vobis potest relacionem, eiusque insinuacioni fidem credulam adhibeat vestra maiestas, quam altissimus feliciter et votive conservet. Datum Rome die XXV. maii.

Subscripcio: Symon cardinalis Mediolanen[sis].

## Erläuterung.

### Der Briefwechsel der Kardinäle mit Kaiser Karl IV. im Jahre 1378.

Die allgemeine Einleitung zu dieser Publikation hat bereits S. Steinherz in seinem trefflichen Aufsatz „Das Schisma von 1378 und die Stellung Karls IV.“ in den Mitteilungen des Institutes

<sup>1)</sup> Ms.: Volanus.

<sup>2)</sup> Im Ms. folgt die Note fol. 84 r<sup>o</sup>: Per has supra scriptas litteras imperatori et regi successive transmissas, quas originaliter habet prepositus Bunnan[sis], alias Camericien[sis], claret aperte dominum nostrum urbanum papam VI<sup>um</sup> canonicè concorditer et non per impressionem electum, ipsumque esse verum papam in legitima possessione papatus.

für österreichische Geschichtsforschung 21 (1900), S. 599 ff. geschrieben; er hat somit den geschichtlichen Rahmen gezeichnet, in den die Briefe der Kardinäle an Kaiser Karl IV. mit ihrem Inhalt hineingehören. Es hieß also wirklich Eulen nach Athen tragen, wenn ich noch einmal die Verhältnisse zu schildern unternehmen würde, welche die hier abgedruckten Briefe voraussetzen. Diese Korrespondenz wird auch von Steinherz erwähnt, aus dem Cod. lat. 5064 der k. k. Hofbibliothek zu Wien. Ein Einblick in diesen Kodex an Ort und Stelle fol. CLXXXI lehrte mich aber, daß es sich hier nur um die Titel von Schriftstücken aus der Schismazeit, „*tituli plurium scriptorum de scismate*“ handelt, welche ein Unbekannter bei einer Studienreise sich notiert hat.

Gar wichtig taten die Anhänger Urbans VI. mit den Briefen, welche die Kardinäle an den Kaiser Karl IV. schrieben, und verwendeten sie als Beweis für ihre Behauptung, daß diese, die Kardinäle, zuerst von der Legitimität Urbans VI. überzeugt gewesen wären, indem sie nicht den geringsten Zweifel daran, noch die Absicht äußern, ihm den Prozeß zu machen und ihn zu stürzen. Oft ist daher in den Aktenstücken der Zeit von dem Briefwechsel der Kardinäle mit Kaiser Karl IV. die Rede,<sup>1)</sup> ohne daß jedoch die einzelnen Stücke näher bezeichnet würden. Daher geht es auch nicht an, von vornherein zu sagen, die 13 Briefe, die hier publiziert sind, stellen diese ganze Korrespondenz dar; sicher aber sind sie ein Teil davon. Die Schreiben der Kardinäle von Genf, von Mailand, von Florenz und von Amiens an den Kaiser, welche Adam Eston versichert gesehen zu haben, sind offenbar identisch mit den Schreiben derselben Kardinäle in der hier abgedruckten Sammlung.<sup>2)</sup> Auch der anonyme Verfasser der von H. Finke in der Römischen Quartalschrift besprochenen Papstchronik des XV. Jahrhunderts, ein Franke, beruft sich da, wo er die Entstehung des Schismas erzählt, auf Schreiben von Kardinälen an Kaiser Karl IV., übrigens ohne genaue Kenntnis derselben und eigene Einsichtnahme. Er redet, was er vom Hörensagen weiß. Seine Notiz bezieht sich auf einen einzigen Brief und nicht auf mehrere, und zwar, wie aus der teilweise wortgetreuen Inhaltsangabe<sup>3)</sup> hervorgeht, auf das Schreiben des

<sup>1)</sup> Siehe hiezu die glänzende Darstellung Pastors, Geschichte der Päpste, I<sup>4</sup>, S. 138, 772; Steinherz, A. a. O., S. 608, 612.

<sup>2)</sup> Raynald, Annales eccl., ann. 1378, nr. 17.

<sup>3)</sup> . . . post electionem eius aliqui cardinales scripserunt Carolo imperatori, quod ipse Urbanus fuisset unanimiter electus die Iovis VIII. Aprilis, et quod fuerunt nisi una nocte in conclavi propter Romanos, et responderunt imperatori prefato, qui tunc instabat ut filium suum Wenzeslanm, nunc regem Bohemie, promoverent in imperatorem, quod vellent totis conatibus ad hoc operari. Quae littera sub diligentissima custodia in archivis partis nostrae reservatur. (Röm. Quart. Schr., IV [1890], S. 348.)

Kardinals Robert von Genf an den Kaiser vom 14. April 1378, das der Direktor des Instituto austriaco di studii storici in Rom, k. k. Professor Hofrat Dr. L. Pastor publiziert hat.<sup>1)</sup> Kaiser Karl IV. bezieht sich zweifelsohne auf unsere Briefe in seinem Schreiben vom 25. Sept. 1378 an die Kardinäle, das Theoderich Damerow zu überbringen hatte, und in seinen Instruktionen für den Gesandten den Bischof Lambert von Bamberg.<sup>2)</sup>

Es sind 13 Briefe, die ich hier publiziere: der erste, des Kardinals Petrus Corsini aus Rom vom 10. April 1378, dann zwei des Kardinals von Amiens Johann de la Grange aus Rom vom 25. und 28. Mai 1378, dann einer des Bischofs von Spoleto aus Rom 14. Mai 1378, dann einer von Nicolaus Spinelli, Rom, 27. Mai 1378, dann wieder einer des Kardinals Petrus Corsini, Rom, 31. Mai 1378, dann einer aus Rom 2. Juni 1378, den die Kardinäle Petrus Corsini und Robert von Genf unterzeichnen, dann einer von Kardinal Wilhelm d'Aigrefeuille aus Anagni, 30. Mai 1378, wieder drei von Kardinal Petrus Corsini aus Tivoli, 22., 26. und 27. Juli 1378, wieder einer des Bischofs von Spoleto aus Tivoli, 26. Juli 1378, endlich einer von der Hand des Kardinals Simon Borsano vom 25. Mai, also zusammen 13 Briefe.

